[=Mscr. A. 7: Nr. 172]

M. Henrico Bockelmanno, ministro
verbi Hammonae Pax Christi.

Dilecte frater. Cum forte socer meus venerandus, vici-
nos aliquot honestos, mihi jam biennio cognitos, convi-
vas advocasset, inter secundos calices tuae nobis red-
ditae literae perquam opportune, cum essent sibi red-
ditae fuerint. Quis enim nihil sic metuam, ut tuos
potores. Itaque veniam precatus in hortum secessi studi-
ose perlecturus literas, quas mihi cum tum de publi-
cis tum de privatis rebus nunciasti. Jam primum ista-
tuam ingentem de mea salute solicitudinem, ut fa-
miliariter exosculor: ita judico sinceri esse erga
me amoris argumentum. Sane mi frater incre-
dibili benignitate constanter me prosequutus est vigila-
tissimus vitae nostrae custos Jesus Christus, qui nisi
me vitae periculum jam identidem asseruisset: jam pri-
dem terrore Sathanae et hostium morsibus absorptus
essem, is ideo mihi se semper praesentem Deum prae-
stitit, meumque non magnum animum in loco affli-
ctionis meae perennis benevolentiae monumentis
sibi quam arctissime obstrinxit. Sed haec alias. La-
boris tui constantiam et integritatem non im-
merito maximi facio, neque desinam precari vobis
meliores successus quam nostris studiis Bremae
hactenus evenerunt. Luctati ibi diu multumque
cum importunis hominibus operose sumus. Itaque
Cum scias etiam quoniam nunc nos eodem loco
simus, nuper cum dira pestis familiam mihi felic-
issimeque dissipasset, impetrata secedendi venia, dis-
scholarchis illinc abiens nisi mihi doctrinae con-
scientiaeque libertatem spondeant, non me postha-
ad scholae gubernacula rediturum esse. Dum ab-
sum autem, duo praestantissimi praecones verbi Chri-
sti, nobis repente subducti sunt, quorum fideli
conspiratione mea imbecillitas in primis fulciri
solebat. Alter Dns Cornelius Bucer quod in recepta
in sacramentis dividendis consuetudine paululum
recessisset, a senatu exclusus est. Alterum Dn. Johan-
nem Otterstedium excellenti pietate et ad plebem
docendam mire appositum, affectatae libertatis
nomine seque ob adversarios appellatum fata-
lis pestilentia sustulit. His luminibus sublatis, ea

pulpita clamosi Arminiomastiges occuparunt non
minus in schola quam in Ecclesia, ut praeter infrugiferas
concertationes nihil in posterum sperare possim. Quam-
obrem constitui (si Deus volet) post dies paucos profectus
periculum facere ecqua tandem honesta ratione ex
his scopulis, ex illa servitute hominum quam evita-
re. Non enim me decet (opinor) id aetatis nequicquam
rixando consumere in exilio, cum possim in patria, si
non sine periculo, certe sine mala conscientia consene-
scere, et per Dei gratiam in rudes Ecclesiae primor-
diis non nihil utilis operae conferre. Congressus tuus es-
set mihi jucundissimus, sed ego priusquam abiero, quantum
vereor cura te sinet tam procul ab ovili discedere, fre-
mentibus undique tot lupis immanibus, per quos vix licet
aspirare. Dalemannus (quod quaeris) Bremam nunc
tardè revertet. Dn. Herbertus à Langen ante autu-
mnum Bremam reliquit, commoratus interea in villa Sto-
ckum, quae iter unius horae abest ab Osnabrugga, ubi ego
nuper mensem totum peregrinatus sum, vita sane sua-
viter, tum quod ipsius Herberti consuetudine nihil
sit dulcius, tum quod frequenter una excurreremus O-
snabruggam ad audiendum Dn. Wilhelmum Vossium
verbi ministrum in Catharina (ut vocant) adeò disser-
tum, erectum et liberum, ut Bremae nihil audierim un-
quam quod posset cum hujus parrhesia comparari. Eo quam-
diu Herbertus frui poterit, Bremam sat scio, non deside-
rabit. Pridem nobis nunciata morte Oberstedii inopi-
na pariter luctu omnes fuimus et Dn. Herbertus non te-
mere animatus erat illius viri interitum fatalem fore tum
scholae tum Ecclesiae. Ego sicuti meus est mos, mane solus
obambulans in silvis, quarum illic magna est copia
lugubre carmen cecini, quod tibi descriptum mitto,
postulans, ut id apud te loco prolixioris epistolae esse
patiaris, nam temporis spatium angustius est, quam
ut nunc plura queam. Tum autem et hoc peto. Quoniam
sub omni lapide (ut aiunt) scorpius dormit, ne similes
istos, moerentis animi indices, nemini velis ut osten-
das. Nihil pretii habent, sed habent, quod parum can-
didi in malum vertant. Valet mea conjunx, valet

filius valet, uxor valet, valent decem adolescentes, qui me
huc erant secuti. Si volet Deus post dies 14 cum
universa familia Bremam revolabo. Multiplicet
Deus in te dona sui spiritus, ut in confessione saluta-
ris doctrinae constanter sine offensa perseveres,
ad laudem Jesu Christi et in Ecclesiae fructum. Amen.
Tuis familiaribus et preciosis precibus meas difficulta-
tes commendo. Vale. Pridie Calend. Febr. 1567.
Duisburgi Frater in Dno.
Johannes Molan.

117.) D. Cornelio Rhetio Licentiato Antwerpiae
Pax Christi.

[= Mscr. a. 7: N. 173]

Status rerum vestrarum vehementer me sollicitat vir
prudentissime. Sunt enim miseranda et valde acerba
quae de istis Ecclesiis nunciantur. Valencenas acerri-
me oppugnari. Tornaci Doctoribus in urbem receptis
optimum quemque et singulari: in sabulo in agro mul-
ta fidelium millia sine capite palantes ritu pecu-
dum in gladios hostiles incurrisse, conscribi nunc novos
exercitus, nobilitatem vestro sedem reprimere, civi-
tates deseri et sub cultoris relinqui. Haec audiens
quotidie et quidem exaggerata verbis procacibus
ab eis, qui vestris successibus irascuntur, qui fieri possit
ut non vehementer miserer? ut non ardeam dolore? Quo-
niam bene credi rumoribus, at tamen non de nihilo
est omnino, quod passim omnium linguis celebratur.
Vellem quidem ab adversariis conficta esse haec omnia,
sed more hominum fit, ut sint vana, ficta facta, quae
pro nobis faciunt: Quae vero nos laedunt quae ini-
micis exoptanda sunt, ea demum veriora sint his
quae apud Capriam, ut aiunt. Tu si me amas, ut facis,
fac quaeso quamquam hinc Bremam commigrem, ut me
facias de omnibus rebus certiorem, id fiet, opinor,
ad 14 Calend. Martias, Deo juvante. Maledicta illic
amici quodammodo diu commansitem, et me jam valde
hujus otii piget, sed meam familiam diu tenuerunt
hyberna frigora, nunc consumpto tecti penu om-
nes ipsa cunctantes extrudit. Proinde si quid isthic
urgenti auditur mihi, id per hunc pellionem